DISSERTATIONE INAVGVRALI,
Differentias iuris
Romani & Germanici
IN

FERARVM FVRTO,
Den Wild-Deuben,



PRAESIDE

IOANNE PETRO DE LVDEWIG,
POTENT. PORVSSIAE REGIS CONSILIARIO INTIMO ET IN REGIMINE HVIVS DVCATVS, FRIDERICIANAE CANCELLARIO, ORDINIS ICTORVM PRAESIDE,
DOMINO IN BENDORFF, PREZ ET GATTERSTAETT,

AD DOCTORIS IN IVRISPRVDENTIA HONORES CAPESSENDOS,

RESPONDEBIT

IOANNES HIERONYMVS LANGE,
CHEMNICENSIS MISNICVS.

H. L. Q. S.

DIE XII. APRIL MDCCXXX.

HALAE SALICAE,
LITTERIS IOANNIS GRVNERTI, ACAD. ET SENAT. TYPOGR.

Differentiae iuris
Romani & Germanici
IN

FERARVM FVRTO,

den Wild-Deuben.

PROOEMIVM.



Abuimus FERAS in academica arena nuperrime, opusculo in medium producto: de VENATV (a) eiusque REGALI. Sed filum fuerat tunc quidem abrumpendum, in breuitatis gratiam. Superest in argumento eodem longa messis communium iurisprudentiae errorum; quos aliter e IVRIS CORPORE non eradicaueris, quam legum utriusque reipublicae ostensis differentiis. Hae enim rem, tot dubitationibus, ambiguitatibus, umbris, nubibus, tenebris irretitam & inuolutam, proferent in NEXVS opusculi.

A lucem

lucem meridianam ponentque extra aleam.

Num uenatus proferis ipsis?

(a) Inſcriptio opuſculi: *diſſertatio inauguralis de* DIFFERENTIIS *iuris* ROMANI & GERMANICI in VENATV eiusque REGALI, menſe *Februario* :730. prodiitque illud ex officina eadem. *Venatus* uerbum non debet offendere hic grammaticos. Nam eſt illud multiplicis ſignificatus. Accipitur quidem pro *uenandi actu* frequentius; ſed tamen pro ipſis etiam *feris*. Vnde formulae Plinianae: *uenatu uesci lib. VII. cap. 2. uenatu ali lib. VIII. c. 8.* id eſt, carne ferina. Eſt ergo ius in uenatu idem etiam, quam in feris. Dixeris id hellenismum, mea pace. Nam θήραμα illis ferarum indago: idemque quam θήρα. Vti docuit iureconſultus humaniſſimus *Ianus* LANGLAEVS *lib. VI. ſemeſtrium cap. I.* Pariter in uernacula dicit uenator redux: *das iſt meine iagt*: oſtendendo leporem; ceruum; cetera.

DIFFERENTIA I.

Qui dentur FERARVM FVRTA?

I. R. nulla FVRTA ferarum.

A ROMANO IVRE exulat omnino FVRTVM FERARVM; quoniam furti ratio uerſatur in eo; ut res ſit alicuius, non eripienda ideo eius domino aut poſſeſſori.

quae in dominio nullius.

Cum autem feras reliquerint Romani, ut res alias plures (b), in populi gratiam, in ſtatu naturali; qui rerum dominia neſcit; cum omnia ibi omnium, nihil alicuius; uti ipſae ferae

ferae pabula, pascua & cubilia habent seruantque inuicem communia: sic patent cuique ferae in syluis, montibus, campis, licet alienis, ad capiendum & OCCVPANDVM. Qui modus acquirendi, iure Latiali probatus ac definitus, longissime abest a furto & rapina. Cum Latio fera pars fundi necquicquam (c). IVRE GERMANICO contra, omni aeuo, FERARVM FVRTA, in classe criminum & delictorum (d). Quod FERAE sint eius, in cuius BANNO FERINO, IVRE VENATORIO, agunt; licet agant perbreuiter & exiguo tempore; instar militum aut ciuium transfugarum (e), *das übergetrettene wild.* Qui igitur feras contrectat, capit, caedit, occidit, aufert, ille est furti reus. Vti gemmarum, succini, electri, unionum, margaritarum, concharumque inuentio, occupatio, raptura in solo uel mari. Sunt ideo patriae iurisprudentiae & fures fe-

I. G. ferarum furta *testatissima* omni aeuo.

rarum & raptores, *wild-diebe; raub-schützen; wildschützen.* Certo argumento: cum feras esse alicuius; tum earundem committi furta & rapinas.

INDVLGENTIA Iustiniani in rebus NVLLIVS.

(b) Cum IVSTINIANVS imperator eorum, quae in INSTITVTIONIBVS suis occurrunt, ipse fuerit autor lectorque, quod dicit *§. 6. prooemii*, est omnino eiusdem indulgentiae augustali dandum hoc: quod *classi rerum nullius* tot insuerit genera; in suorum gratiam subditorum; qui illa reddere possent sua, occupando ac inueniendo: cum illa omnia sibi, patriae institutis, uindicent nunc PRINCIPES, iure summatus; exclusis & interdictis hominibus priuatis, quin *occupationem* porro habeant pro modo harum rerum dominia acquirendi. Vti ergo I. R. LAPILLI; GEMMAE; CONCHAE; ELECTRVM & cetera, quae in LITTORE inueniuntur, statim fiunt INVENTORIS, *§. 18. Inst. de rer. diuis.* sic contra talium occupatio I. G. luitur ultimo supplicio & laqueo infami. Deinde INSVLA nascitur I. R. occupanti *§. 22. Inst. de rer. diuis.* Contra PRINCIPI I. G. uti late docuit GRYPHIANDER *de iure insularum*. Porro ALVEI derelictio est I. R. uicinorum & confinalium fundi possessorum *§. 25. Inst. de rer. diuis.*: sed I. G. pristinus alueus (*die alte Elbe; der alte Rhein*) principis solius. Tum R. I. THESAVRI pars una inuentoris, altera domini soli *§. 39. Inst. de rer. diuis.* sed I. G. illum uendicat sibi fiscus, quod eius intersit, pecuniam non defodi & eximi commercio. Praeterea R. I. subterranea quaeque domini fundi, ne quidem exceptis METALLIS, SALINIS rebusque generis eiusdem: sed I. G. omnia haec in REGALIVM classe 2. F. 56. Demum R. I. res, DOMINO CARENTES, pariter occupantis *§. 46. Inst. de rer. diuis.* sed I. G. illae iterum PRINCIPIS solius; qui sibi uendicat AGROS & fundos DESERTOS ab incolis aut excedentes definitam

Quae I. G. principis.

nitam mensuram. Taceo VENATORIVM argumentum, quod huius est opusculi, per Latii leges, non minus populare.

(c) Quod habetur passim definitum. Praesertim in *l. 15. 16. 17. D. de act. emt.* in qua extrema VLPIANVS: *fundi nihil est, nisi, quod terra se tenet.* Igitur pascua; herbae; plantae; arbores quidem fundi pars adiicialis; non ferae. Quae ideo ne uendi quidem poterant cum fundo; cum eodem illae iure essent aliorum, quo domini fundi ipsius. Nisi forte inclusae piscina; auiario; uiuario; leporario custodiaeque genere alio *§. 12. Inst. de rer. diuis.* Neque tamen diutius, quam coerceas inclusa. Quam enim primum euaserint, tua esse desinunt; quod se adgregauerint iterum rebus nullius a dominioque se uindicauerint in libertatem naturalem, carentem domino. **Ferae I. R. non syluae pars.**

(d) Hac enim formula: *si quis* FVRAVERIT FERAS *in alieno fundo; soluat mulctam, instar furis,* utuntur omnes Germaniae populorum LEGES uetustissimae FRANCICAE; SALICAE; WGOTHICAE; LONGOBARDICAE, quas conduximus & recensuimus sigillatim in nupero eiusdem argumenti opusculo *differ. IV. num. 2. p. 22. 23.* **FVRTA ferarum I. G. uetustissimo.**

(e) BANNITAE SYLVAE aut ferae, *der wildbann,* hoc idem est, quam prohibitorio edicto munitae; ne quis illas, uenandi causa uel ingrediatur uel has capiat; sub poena FVRTI, *den wilddeuben.* Huic custodiae PRAEFECTI audiunt *die wildgraven; waldgräven.* INNOCENTIVS III. *lib. XIII. epist. 95. quod banniuerant syluam suam & fecerant custodiri.* Contra DIE WILDBAHN audit, in uernacula, ille tractus, in quo FERAE sua habent CVBILIA. Scribitur hoc unico elemento BANVM; non *bannum.* In LL. NORMANNICIS *cap. VIII.* habetur; *tempus, quo terrae sunt communes, tempus* BANONIS *uulgariter nuncupatur. Quo tempore animalia sine Pastore herbas depascunt.* TEMPS DE BANON in Gallica uersione. *Wann das feld offen ist und das vieh darinnen frey bahnen oder gehen mag.* Inde BANOVIVM, id est, BANOVRIVM **BANNVM ferinum der wildbann.** **Banum ferinum die wildbahn.**

 die

die freybahn uel *bahnfrey* in LL. NORMANNICIS *cap. IX.* Hodieque, usu uulgi, dicimus, *die wildbahn;* quando uehicula trahunt quadrigae; ut opus sit extremis, ire extra tritam uiam, *die neben, ausser dem geleiß, ziehen müssen,* quasi in *uia ferina,* locis imperuiis.

Verba I. G. a) *deuben.*

(f) His uerbis utimur in *iurisprudentia uenatoria* Germaniae. *Deuben* idem est, quam fraudare, decipere, *bedeuben,* instar fascini. Vnde Gallorum *duper, decipere,* fallere. Et homo facilis deceptu, audit DVPE, *il est la* DVPE *de tout le monde,* homo improuidus, *der allenthalben betrogen oder beteubet wird.* A quo nomine *dieb* uox differt dialecto tantum. *Raubschützen* dicuntur *raptores, praedones* ferarum, posito omni pudore. *Wildschützen* autem habet duplicem sensum. Vel, quod *feras* occidant *sclopetis;* uel quod sint *omniuagi* in exonerandis tubulis igniuomis, nulla curata prohibitoria lege.

b) *diebe.* c) *raubschützen.* d) *wildschützen.*

DIFFERENTIA II.

De poena VENATORIS FVRTIVI, *des raubschützens.*

I. R. NVLLVS uenator furtiuus.

IVRE ROMANO aliquem a uenatu prohibere; hoc idem fuerat; quam aqua & igne eum interdicere (g). Quod utrumque hominibus deberet ipsa rerum natura. Poterat tamen uenatorem quisque dominus uetare; ne fundum eius ingrederetur (h). Negligere hoc mandatum & aspernari atque in fundum alterius irruere nihilominus; illa demum iniuria fuerat grauissima.

Sed ex eius INGRESSV iniuria.

Quam

Quam ignominiam dominus uindicare poterat uel agendo uel accuſando (i). Non quod ei damnoſus uenatus: ſed quod contumelioſus eſſet ingreſſus fundi domino. Quaſi huic non liceret, eſſe ſolitario. Contra oporteret eum in ſuo excipere hoſpites, ſe non ſalutato. Cuius conuicii cauſas non adſequuntur hoſpitales Germani. Sed iure Latiali aeſtimauerat actor hanc temerarii ingreſſus iniuriam mille aureis iureiurando (k); formula ſolenni alias: *malle ſe tot aureis carere; quam fundum ac uillam frequentari ab aliis pro lubitu, inſtar ſeruitutis, in eo radicatoe.* Condemnauerat non ſolum praetor ad hanc ſummam uenatorem; ſed etiam notabat condemnatum infamiae macula (l). Atque haec per leges Latii. In alia omnia hic eunt *iura Germanica* & iuerunt olim. Nam illi uenatum impermiſſum habent pro furto. Furta olim

Etiamſi NOXIVS parum.

Sola CONTVMELIA aeſtimanda a) acre.

b) infamia.

IVRE GERM. habetur FVRTIVVS uenator.

puniturque furtum a) uirgis. b) exilio. olim plectebant flagellis; uirgis; uerberibus; infamia; mulcta; exilio. Quandoque etiam dupli, quadrupli restitu-

c) niungeldo. tione aut NIVNGELDO uel TRINIVNGELDO. Quae poenarum genera gratissima furtum passis. Vt eueniret demum paradoxum: *furtum passos ita ditescere* (m). Interim LAQVEI poena, furibus

d) LAQVEO in LL. quoque scripta non ita nuper. Nam ue-

Boicis. Ripuariis. tustissimae BOIORVM & RIPVARIORVM LEGES furta x. aut V. SOLIDORVM, si quod in scriptura uitium, plectunt ultimo supplicio. Quod exemplum sibi haud

Friderici I. dubie proposuit FRIDERICVS I. in sua constitutione, de resti & laqueo in *V.*

indeque Caroli V. nouatio nulla. AVREORVM furtis (n). Lenior his omnibus CAROLINA: sed interpretes illius plerique sunt truces & terribiles lectu desideraturque commentarius, exaratus stylo leniori. Interim quo iure fu-

Sigillatim FERARVM furta notantur. res & raptores merentur malam crucem: eodem etiam furciferi uenatores

(*die*

(*die raubschützen und wilddiebe*). Quorum poenae, pro temporum & locorum rationibus, admodum uariant. Alii enim legislatores damnarunt hos quoque ad malam arborem (o); narium & manuum truncationem uel etiam orbitatem luminum. Nam fuisse uenatorem furtiuum olim ceruo iniectum & manibus catenatum cerui cornibus; illud quidem, cum narretur a pluribus; sed nullibi prodatur nomen uel legis uel legislatoris, tantopere seueri atque alieni ab omni humanitate: mallem egomet historiolam hanc accensere fabellis. Et si forte aliquis princeps adeo fuit immanis; illud tribuendum atrae bili, non latis ita legibus. Ceterum est forte nouissimum EDICTVM PROHIBITORIVM aduersus ferarum trifurciferos, illud, quod ann. CIƆ IƆCC XXIIX. promulgauit REX PORVSSIAE (p). Licet enim olim ferarum

genere POENARVM multiplici.

B furta

furta in poenam aestimata fuerint certo definitoque pretio. Cum uero homines omniuagi; otio nati, non operis aut opificiis; etiam exauctorati milites, ad omnem audaciam proiecti aliique errones grassarentur nihilominus per saltus & syluas cum uenabulis & igniuomis tubulis, praedonum instar, ad ferarum hominumque latrocinia paratissimi: opus esse omnino uidebatur seueriori lege. Nemini ingrata aut graui; nisi hominibus trium litterarum; dignissimis, ut conuertantur in unicum elementum, quod est I. longissimum, emblema furcae. Ceterum requirunt, in huius argumenti IVDICIARIIS CAVSIS, rerum arbitri, quorum animos poena haec uexat, problemata alia plura, respondenda hic cursim. Primo quidem: *num ferarum furtis uniuersim statuta mors; an illis tantum, qui hoc scelus commiserint in regalibus syluis seu saltibus*

IVDICIARIA problemata.

I. Num in *regali* grauius furtum, quam in *uulgari* sylua?

bus forestatis? Non abnuo ultimum; si quidem sequi debet supplicium eum quoque uenatorem furtiuum, qui conuictus de furto tantum unico; soloque ingressu in syluam aut campum cum uenabulo & sclopeto, ad furtum faciendum. Nego illud: si furtum hoc iteratum multoties; si huic negotio se det totum; si requirat inde sibi suisque uictum, neglectis operis; si plus nolit habere, quam quod auferat ita rapiatque; si factum per uim; si ferarum & hominum intentata caedes; si feripeta inclamatus recuset se dedere; si minas sparserit, uerbis factisque in eum, qui inclamauerit traxeritque in forum & quae generis sunt eiusdem. Quia tunc fere uenationis comes latrocinium. Interim nihil hic datur principũ sensibus. Nam grauius etiam puniuntur sacrilegia & palatina furta, quam uulgaria. Deinde, *num liberet a mortis poena ab-* II. Qui liberet furti *restitutio?*

latarum rerum restitutio? sed num liberat hoc falsificos monetarum? num raptorem in uia publica? num in sacrilegum? Sed leniori uirgula notandus nihilominus etiam hic uenatus furtiuus. Nisi in suis saltibus ac forestis princeps, clara lege, esse uoluerit acrior. Tandem grauissimum est illud:
III. Qui opus *corpore* delicti? quod poenarum arbitri hic desiderent *corpus delicti*, id est, rei ablatae sensibus exploratam ueritatem. Ne fingere illud malit reus, uitae taedio; quam facere. Hinc etiam in furto non satis est confessio furis aut rumor hominum; fallax & fictus saepe: sed rei, furto ablatae, scientia possessoris aut testis iurati. Cuius indagatio est facilis in rebus scienter possessis; non in nescitis. In qua ultima classe agunt ferae & animalia *oculis incognita nostris* neque relata in numerum (q). Interim non opus est hic cognitione aut albo;

bo; ſed illud ſatis, ad uenatorium praedonem damnandum; ſi feram habuerit neſciatque illius dominum adlegare. Si quae alia ſuperfuerint iudiciaria problemata; addemus illa in ultima margine, inſtar ſpicilegii. Nam, itineris, à principe imperati, cauſa, non hic licet eſſe prolixiori.

(g) Duo hic notanda. *Primo* quidem, quod I. R. non quidem prohiberi potuerit VENATIO aut *captio* ferarum: ſed tantummodo fundi aut SYLVAE alienae INGRESSVS. Illud patet inde: quod ferae, ubicunque demum egerint, cedant occupanti. Adeo, ut dominus fundi non plus habeat iuris in feras, agentes in ſuo fundo; quam alius quisque peregrinus uenator. Ergo uenator, licet interdictus, ſi alterius fundum, ſyluam, agrum, hortum, uineam ingrediatur per uim capiatque ibi feras; has ei dominus fundi non poteſt eripere, quaſi per uim occupatas aut uindicare ſibi illas, quod ſuo fundo fuerint ſubductae. Quia ferae non ſunt fundi pars, quod definitum in *l. 16. D. de act. empt.* Igitur oportuerat fundi dominum pati uenatus alienos in ſuo. Quod nefas eſſet; ferarum, in ſuo agentium & altilium ſuorum captionem prohibere ſibique adſerere. Quod eſt magis, poterat tunc uenator potius iniuriarum agere aduerſus fundi dominum, interdicentem eum non tam ingreſſu, quam ipſo uenatu. Nam *qui re mea,* iure meo in res, quae ſunt nullius, *uti me non permittit,* id eſt, occupare res feraſque, quae in nullius dominio, ſed omnium hominum; qui illas

I. R. fera eſt CAPIENTIS licet *dominus* fundi PROHIBVERIT uenatorem *uenatu.*

VENATVS *interdictum* qui *ignomioſum?*

Et actionis INIVRIARVM causa? las occupauerint, *ille mihi facit iniuriam*, uti definit *l. 15. §. 7. D. de iniuriis.* Quasi mihi negaret ea, quae omnium hominum adeoque infamia quasi notaret eorundem, qui aqua & igne interdicti. Qua contumelia; quae demum esse posset maior? Haec uera ratio iuris Romani, tantopere popularis, intellecta paucissimis.

I. R. INGRESSVS in locum *alterius* INIVRIOSVS.

(h) *Num ergo diu noctuque uillae*, CAMPI, *uineae, horti, nemora* PATERE *debuerunt uenatui alieno?* Caue ita sentias, rerum Latii ignarus. Nam principio alieni hominis ingressus in loca, quae domini, prohibitus fuerat poenis grauissimis; ob illatam ei, ex licentioso ingressu, ignominiam.

1) in DOMVM, ob causas.

Principio dicendum de cuiusque DOMO uel *aedibus*, more Romano, non patulis; sed clausis. Vt ideo illas ingredi, hospite non salutato, hoc ipsum iam lege poenali interdictum, ob causas singulares.

a) *ciuiles* securitatis.

Nam *primo* ratio fuerat ciuilis, ut domus sua cuique securissimum receptaculum, unde ne quidem a iudice potuit per administros publicos euocari, uti habetur in *l. nemo 103. D. de R. I.* atque in *l. plerique 18. D. de in ius uoc.* Vnde ad ualuas quidem poterat citari; non lictoris aut famuli in aedes ingressu, *l. uim §. nuptae D. ad L. Iul. de adult. & l. 5. §. 1. D. quod ui & clam;* satis enim fuerat hoc domo non egredi licere. Solis *amicis* datum hoc, instar tesserae, posse in amici domum secedere. Hinc ruptae amicitiae indicium, interdicere ueterem amicum aedium ingressu, teste TACITO *lib. VI. annal. c. 29.* Gratiae & amicitiae finis erat; non odii aut inimicitiae initium. Aliud est, non amare; iterum odisse aliud. Arcebat a domo alterius alterum lex. Igitur, foedere & uinculo amicitiae rupto, reditum ad communia iura postliminio.

b) sacras, *domestica* numina.

Altera causa fuerat SACRA. Ne temerario nefarioque aedium ingressu uiolarentur *domestica numina*, lares, penates, genii, tutelares, quod probe notat POLLETVS *in hist. fori Rom. lib. V. cap. 3.*

c) morales *gynaeceorum*.

Addo causam tertiam, quae est ETHICA; ne pudor laederetur muliebris in domesticis *gynaeceis*,

naeceis, cuique propriis familiae, uti docui alibi in *differentiis iuris* ad SCT. VELLEIANVM. Sed dixeris; quid haec ad uenatum? Repono illud: quod etiam domesticae securitatis priuilegio, aduersus alienos ingressus, munitae fuerint VILLAE & HORTI, quod definit VLPIANVS in *l. lex Cornelia §.* 2) VILLARVM. *D. de iniuriis.* Vbi inquit: *quid si in uilla habitet uel in hortis? Idem erit probandum.* Et ibi etiam ingressus accipiendus pro iniuria aut ignominia domini. Hoc cum ita sit; iam eo facilior est interpretatio *l. 13. §. 7. D. de iniur.* Nam publici aut alieni loci ingressu prohibere non licet uenatorem; sed tamen mei ipsius. Quoniam illud moribus Latii receptum probatumque usu: ne quis uel alterius campum, agrum, syluam, fundum temere ingrediatur. Id est, domino inuito neque curat a prohibitione. Quae ratio CALISTRATI in *l. 10. de seruitut. rustic.* In uerbis Graecis, quibus utitur: οὐκ ἔςιν εὔλογον, non est *laudabile* uel *usitatum* moribus; sed inuerecundum & iniquum: *ut per aliena praedia,* INVITIS DOMINIS *aucupium* (multo minus uenatum) *faciatis.* Haec igitur ignominia, ingressu facto nihilominus, poterat acri poena, iniuriis opposita, uindicari.

De causa poenae ob *ingressum* domino *inuito*.

(i) Iterum hic muti sunt interpretes plerique; quod non adsequantur poenae grauitatem aduersus uenatores, inuitis dominis fundorum. Illud errore statuunt: *oportuisse fundi dominum causas adlegare factae prohibitionis aduersus uenatum.* Quae, nisi idonea, neque attendenda fuerit uenatori. Ita MEVIVS hanc causam respondit *part. IV. decis. 207.* correxitque, minus recte, *sententiam damnatoriam iudicis inferioris,* aduersus illum, qui syluam alterius est ingressus, interdictus licet, ingredi. Addita ratione: quod *iniuriarum* aut de *ui actioni* locus non sit; nisi dominus *interesse* doceat, id est, damnum ex illo ingressu. Cui errori frustra adplaudit BRVNNEMANNVS *ad l. 13. D. de iniur. num. ult.* Sed quid? Detur *actio iniuriarum.* Expectabis, quis sit actionis

Error sententiae MEVII, quasi docendum *interesse*.

BRVNNEMANNI ad *l. 13. D. de iniur.*

adplausus iniquus. Qui intersit DOMINI fundum eius non ingredi VENATOREM?

actionis institutae *finis?* quae poena *rei?* Nostris moribus uidentur haec tantum non ludicra; si quidem standum esset sententia Meuiana. Ecquid enim domini interest; me fundum illius, *uenandi* causa, ingressum fuisse? Aut ferarum aliquid cepi; aut cepi nihil. Si ultimum nihil ei eripui, quod forte poterat sperare: si primum, occupando rem nullius eius factus sum dominus iure? Verum enimuero hoc solummodo fuerat ignomiosum fundi domino; eius PROHIBITIONI uenatorem non paruisse. Prohibitio enim fuerat legitima; munita legibus: cui parendum fuerat, spretis contra factis argutiolis. Neque est, quod existimes, has *Latii leges* destitutas fuisse idonea ratione. Cui enim non graue est hoc; se praesente conspicere homines cum telis & sagittis in suo? Contra quam est cuique gratum, praesertim in rusticationibus, hominem esse solitarium, quem TVLLIVS commendat uerbis *lib. II. offic. c. 12.* Cum igitur Latii leges omnes essent populares; recte & cum ratione factum est hoc: *ne quis, inuito domino, fundum alterius ingrediatur* uel alia uel *uenandi* causa uti definite habetur in *l. 16. de seruit. rustic.* Et utinam huius iuris, a Germanico regno suscepti semel, attenderetur rigor neque irruerent in aedes & campos alterius homines insolentes, hoc ueniae tegumento, exinde damnum nullum rerum domino. Nam damnum est hoc: *destitui otii solitarii commodis; turbari aduentu peregrinorum.* Redierunt illi principes ad Latii iura postliminio: qui petulantiam poenis coercuerunt temerari ingressus in palatinas uillas. Testatissima sunt cum REGVM aliorum; tum P.R. prohibitoria edicta: *ne quis, nisi uenia rogata, indultaque, ad illas secedat temere, propositis grauissimis poenis.* Requies, quae in deliciis principibus, etiam ciuibus & subditis grata. Quae causa est POPVLARIS EDICTI: ne quis, prohibitus, uenandi causa, fundum alterius ingrediatur.

(k) Stat

(k) Stat igitur I. R. firmo talo hoc: *quod uenator, prohibitus a domino fundi, potuerit* INIVRIARVM *actione conueniri?* Idque ob ignominiam, illatam ei, ingressu uiolento in eius fundum. Sed desideras poenam. Est illa definita in *§. 7. & 8. Instit. de iniur.* Agebat igitur dominus fundi aduersus VENATOREM, spreta eius inhibitione. Acceperat illud pro *contemptu* & *ignominia*, non leui aestimanda pretio. Iurauerat pretium damnum passus: *se* LVBENTIVS *cariturum* MILLE *imperialium summa*; *quam passurum talem ab interdicto uenatore* INIVRIAM *fundi ingressus porro.* Quid ad haec iudex? Siquidem iniuriae conuictus reus; ille uel adiudicat actori *pretium aestimatum iureiurando* uel, si hoc crediderit, esse nimium; tunc eius *nobili officio*, datur hoc; ut illud temperet moderetur que & reducat ad boni uiri arbitrium. Ipso autem iure condemnatus INIVRIARVM fit *infamis*, quod habetur definite *in §. 2. Instit. de poena temere litig.* licet in *persona serui* condemnatus *l. 10. iniuriarum C. ex quib. caus. infamia irrogatur.* Atque hinc constat: *quod popularis uenatus*, Latio indultus, *priuati interdicti robore* potuerit coerceri & retundi.

Actionis INIVRIAE *finis.*

a) *aestimati pretii restitutio.*

b) *infamia iuris.*

(l) *Furti* & *rapinae* poena eadem iure Germanico; quam *improbi uenatus*, non indulti sigillatim *uenatori.* Vti uero ueteres Germani delicta paucissima puniuerunt morte ultimoque supplicio; *infamia*; *flagellorum* numeris; priuatione *libertatis*; *multa* siue in pecunia siue in pecudibus: quandoque etiam restitutione rei ablatae, facta *nouies*, quod *niungeldum* (*neingeldung*) dixere: imo in palatii ducalis furto *ter nouies*, quod audiit *triniungeldum* (*dreymal neinige erstattung*), ut habes in *LL. Boioar. tit. 8.* ita etiam *ferarum furtis* (*die wilddieberey*) non statuta est poena grauior. Contra in *L.* RIPVAR. *tit. 42.* de *uenationibus*, aperitur causa: ob quam *ferarum furta* notanda sint *uirgula leniori.* Quia fera-

I. G. FVRTORVM *poena.*

mitior furtis ferarum.

ferarum possessio non stabilis, sed sperata magis. Quod ferae sint omniuagae feranturque huc & illuc, quod in priori opusculo ostensum *differ. IV. n. 2.* Licet etiam ferae patria cubilia deserant raro neque sine causa, uti pariter dictum ibidem *differ. IV. num. 2.*

Poena *quadrupli* in furtis reipublicae utilissima.

(m) Saepe cogitaui de *furti poenae* grauitate. Consultum magis fuerat, indulgere furta passis *actionem dupli; quadrupli* aut, qui rigor LL. Germanicis, ad *nouies* rem ablatam restituendam, quod ultimum est statutum in LL. BOIOAR. *tit. 8.* quod diximus. Ita enim poterat furtum saepe passus ditari & adaugeri facultatibus ac opibus immensis. Fac, ablatam furto *uaccam:* pro *una* recipis a fure *nouem.* Quod si fortuna tibi ita fauerit; ut has etiam subduxerit fur; reddet ille centum tibi fere armenta; quo modo acquirendi quis esse potest cumulatior? Haec instituta cum essent, *ferarum furta* numeris punita forte iisdem. Neque tamen hoc satis: nam irrogauerat praeterea iudex furibus plagas; flagella; fustes; carceres; exilia. Quo ultimo loco satisfactum reipublicae; uti primo furtum passis.

Melior NIVNGELDVM, *neinfache vergeltung.*

LAQVEI poena furum,

(n) Vnde igitur *mala crux* statuta in fures ultimumque supplicium? Definit hoc CAROLIÑAE *articulus 160*, ubi *quinque solidorum* (*fünf gulden*) mentio; quapropter ultimi supplicii poena possit quandoque locum habere. Videtur idem constitutum, tempore iam Merouingico, in

In uetustissimis LL. a) BOIOARIORVM.

BOIORVM LEGIBVS *tit. VIII. §. 8 si quis aurum, argentum aut quascunque res usque ad* SOLIDOS *X. uel amplius furauerit, in* SIMPLO *componat, damneturque ad* MORTEM. Etiam in LEGE RIPVARIORVM, aeui fere eiusdem, *tit. LXXIX.* sancitur: *si*

b) RIPVARIIS.

quis homo propter FVRTVM (haud dubie magnum) *comprehensus fuerit & legitime superiuratus* (per testes iuratos conuictus) *& iudicio principis penditus:* (pendu, pandard, ad patibulum damna-

damnatus) *uel in quocunque patibulo uitam finierit, res eius heredes possideant* (neque locus confiscationi bonorum) *exceptis capitali* (forte furto ablata) *& dilatura* (interesse morae), *quae in locum restituant.* Hoc cum ita sit, facile est ad intelligendum: *quod suspendii poena uetustior longe Carolina.* Imo etiam FRIDERICIANA constitutione 2. F. 27. §. 8. *si quis V.* SOLIDOS *ualens aut plus furatus fuerit, laqueo suspendatur.* Quicquid tamen eius sit truculentiae; uitam adimere ob aliquot SOLIDOS amissos furto: est tamen hoc imis sensibus notandum iureconsultis & latoribus quibusuis damnatoriae eius generis sententiae: *quod X. aut V.* SOLIDORVM PRETIA *tunc temporis fuerint* MAIORA VERE; *quam* MILLE IMPERIALES *nostri aeui.* Siue solidum pro AVREO acceperis; siue pro alio genere monetae. Hoc cum ita sit: CAROLINVS *legislator* aut, quem ille, manifesto plagio, exscripsit, parum egit consulte, ueterrimarum legum v. AVREOS puniendo in furibus morte. Imo reddendo illos *gülden* uerbo ambigui ualde & multiplicis significatus. Ea enim nunc auri & argenti copia partim ex Germaniae metallifodinis coacti; partim ex America translati in Europam: ut modius frumenti, qui olim unius *oboli*; nunc *imperiali* nummo constet, quem dicimus *reichsthaler*. Vt adeo hominum sanguis olim factus sit maioris; quam nunc, ubi eius pretium euiluit tantopere, cum nummorum deminuto ualore. Quinque aureis non taurum redemeris aut procum; sed horum causa homines solent occidi. De simplici furto loquor; non de aliis, quae comites habent uitae pericula, uim, audaciam effrenem totiesque repetitam, ceteraque unde reipublicae metus exitii uel turbarum. Interim quid consilii, in hoc iuris rigore, iureconsulto christiano? Non mitiori esse hic licet, lege scripta. Inde formula: *nach schärfe der rechte mit dem strang vom leben zum tod zu bringen.*

c) FRIDERICI l. 2. F. 27.

Furtum V. SOLIDORVM qui olim MAGNVM sed PARVVM nunc?

Vnde opus correctore?

Consilium quod humano Icto?

Id est, uelle hoc legislatorem, cuius nomine ac periculo ius ita dicatur feraturque damnatoria sententia: necquicquam autem arbitratu sensuque proprio. Verum cum Carolina simplicia, quae dicimus, furta iudicio relinquat demandetque prudentum; facile est his, ad temperandum supplicii rigorem, pro rerum, in hoc delicto, circumstantiis. Dummodo malint iudices, rationibus legum uti, quam illis CRIMINALISTARVM, quod nostri seculi uerbum, truculentissimis sententiis ac PRAEIVDICIIS. Quasi nulla inter prudentes iam iustitiae & ueritatis cognitio, quam praeiudicialis uere.

FVRTA FERARVM plectuntur SVPPLICIO.

(o) Habes ad an. 1045. conceptum diploma: *donamus cum fundo etiam uirum* Loben, *propter furtiuam uenationem adiudicatum* PATIBVLO. Quod exhibetur in *tom. VI. reliquiar. num. 27. p. 51.* In ANGLICANIS legibus reprobandis, quasi peccarent in nimio, fategit *Ioan.* SARISBERIENSIS *in lib. I. de nugis curialium cap. 4. Hostes naturae. Hominem pro bestiola perdunt; quae olim nullius.* PEDICAS *parare auibus;* LAQVEOS *texere; alluere* FISTVLA; *insidiis* SVPPLANTARE, *ex* EDICTO *fit criminis &* *uel* PROSCRIPTIONE *bonorum uel* MEMBRORVM SALVTIS*que dispendio punitur.* Plenior tamen, in poenarum diuersis generibus indicandis, est *Matthaeus* PARISIENSIS ad *an.* 1215. atque 1232. si quis fraudulentus uenator, *ei eruebantur* OCVLI; *abscindebantur* VIRILIA; MANVS *uel* PEDES *truncabantur:* sed addit, *talia* IVDICIA ACRIORA *iusto uidebantur* RICHARDO *regi.* Ideo ferarum ipse furta puniuit CARCERE; MVLCTA; EXILIO ex Angliae regno. Verum haec talia statuta forte tantum in REGALIBVS FORESTIS, quae a syluis priuatis clare distinguuntur. Quod intelligitur ex LEGE KANVTI regis CVIII. apud *Ioan.* BROMPTORIVM, abbatem Iornalensem, *p. 931. uolo, ut omnis homo sit uenatione sua dignus in* NEMORE *& in* CAMPO *in* DOMINIO *suo. Sed*

Iure ANGLICANO,

MODERATE tamen post.

Sed abstineat a VENARIIS MEIS *omnis homo ubicunque pacem ei habere uolo super plenam uitam.* Inde Angliae Tribonianus, FLETA *lib. I. c. 38. §. 26. de* FERIS *&* PISCIBVS *potest fieri* FVRTVM. *Ex* BENIGNITATE *tamen* PRINCIPIS *constituitur: ne quis pro* HVIVSMODI FVRTO VITAM *perdat neque* MEMBRA. Vnde facile est, ad intelligendum, primo quidem; quod furta punita sint morte; tum, quod fures ferarum eadem poena digni olim; qua tamen sint liberati, ex singulari *regis indulgentia.* In historia ueterum FRANCORVM est quidem illa testatissima pluribus apud *Gregorium* TVRONENSEM *lib. X. c. 10.* quod ob bubalum, in Vosago sylua occisum, Guntramus rex cubicularium iusserit lapidibus obruere: sed factum illud fuerat, dum aestu efferuesceret princeps; nulla lege eius rigoris extante. Non est nostri nunc otii; Germaniae prouincias quasque consulere, quo poenae genere in illis adficiantur ferarum fures. In SAXONIBVS hoc principali indulgentiae adscribit SPECVLATOR *lib. II. art. 61.* quod ferarum fures non mulctentur morte; sed LX. *schillingorum* aere. Verum in SAXONIA primus fuit AVGVSTVS, archiprinceps elector, promulgato mens. *Octobr.* CIƆ IƆ LXXXIV. edicto graui & seuero: *quod furtiuus uenator non solum; sed etiam adiutor eius, custos, celator procuratorque in uendendo puniendus sit laqueo in mala cruce.* De quo plenius iureconsulti Saxonici in iisque CARPZOVIVS *part. II. criminal. quaest. 84. num. 34.* & qui sequuntur. Quod cum semel, in Saxonico electoratu, ita constitutum esset: iureconsulti quidam duxerunt sibi religioni, in sententiis damnatoriis, hunc rigorem sequi. Sed ex causis uere lepidis; quod *ferae* & *hominis* nulla aequalitas. Sed quae aequalitas inter aliquot asses & hominem, monetarium falsificum? Deinde imaginis diuinae haberi uolunt rationem: sed absit, ut hanc requiramus in corporis machina, brutis paulo

FRANCICO aestuante.

SAXONICO electorali 1548. eiusque apologia.

meliori. Ecquis enim aeterno numini adfinxerit nares & aures? Idolorum illi ſenſus ſunt; non ſenſuum ſupremi conditoris & architecti. Et ſi hoc, proſcribenda ultima ſupplicia quaeque ex noſtris rebuspublicis. Porro urgent; ferarum furta non eſſe uera. Sed detur hoc alibi. Quis in patria noſtra dubitabit, ubi ferae pars adiicialis territorii, ſua hic cuique reipublicae iura ſingularia. Feras reliquit populare Latium in claſſe rerum nullius, quae cederet occupanti. Non Germania, quae feras illa exemit ſtatuitque in proprietate eorum, qui territorii ac praedii domini, quod dictum ſupra in *differ. IV. num. 3.* Hodie igitur Saxonica tribunalia non dubitant; furtiuum uenatorem damnare ad patibulum. Eſt etiam ſingulare hoc; iuiſſe in mores PORVSSIAE & LITHVANIAE uetuſtiſſimos; ut furtiuus ibi uenator, in ſyluis inuentus, a ſyluae & ferarum cuſtode aut uenatore legitimo inclametur & occidatur actu ictuque fere eodem. Atque hoc fiat non ſolum impune; ſed propoſito rei, ſic geſtae, praemio in aere. Dummodo manum, ita occiſi feripetae, oſtenderit uenatorum magiſtro tropaeophorus. Mores, ſat truces. Sed introducti haud dubie, ad compeſcendos homines duriſſimae ceruicis, improbos in ſyluis ac deſertis errones; ut cohibeant manus abſtineantque ab alieno. Ad expurgandum uias de nefariis praedonibus. Crediderim etiam hoc; non occidi temere hos errones; niſi aufugiant, publica iam uoce inclamati. Eandem poenam ſtatuit in furtiuos uenatores, exemplo maiorum, SAXONIAE DVX & *princeps* QVERFVRTENSIS in IVRIS VENATORII *artic. XII. §. 38.* additque: *ſi forte feripeta fuerit deprehenſus neque ſteterit, ſemel iterumque inclamatus,* in illum exonerari debent tubuli igniuomi; ut ita uel cadat uel occidatur. Interim celatorem ferae furtiuae poena eadem dignum; qua furem ipſum

PORVSSIAE & LITHVANIAE MORES.

QVERFVRTENSIS 1728.

ipsum. Idem hoc fere legitur uerbatim in STOLBERGENSI *ordine uenatorio* §.17. Illud porro est testatum autoribus innumeris; furtiuos olim uenatores ceruis impositos sessores; eorum manus catenis constrictas inter cornua; pedibus inferius colligatis. Vt ita illi esset misere pereundum. Historiolam narrat suo tempore KNIPSCHILDIVS *de nobilit. lib. III. c. 5.* Quem innumeri fere autores postea exscripserunt; nulla lege aut consule eius truculentiae laudatis. STOLBERGENSI.

(p) Est ea prouidentia REGIS AVGVSTISSIMI: ut nihil omittat, quod facere possit ad rempublicam bene ordinandam. Cuius saluberrimas leges plures sibi principes alii proponunt in exemplum, quod nunc imitantur (*). In uenatoria arte inuicti animi heros amat praecipue illam: qua uenator equo uehitur insequiturque, cum canibus, celerrimo cursu, ceruum; usque dum animal, ita circumactum & fatigatum, succumbat demum herbamque porrigat uictori. CYRO, monarchae fortissimo, hoc uenandi genus fuisse in deliciis; auctor est XENOPHON in *cynegeticis*. Deinde etiam uires exercet experiturque in uenationis altero genere: quo impetus apri excipitur uenabulo eoque uel contunditur uel confoditur, more Aetolorum exemploque Meleagri istius in heroum ac numinum choro. Quales nummi imperatoriae fortitudinis supersunt in cimeliis ueterum monetarum passim. Quorum aliquot recenseri possent: si quidem illud huius esset otii & arenae. In hac syluarum & ferarum cura cum illud deprehenderet non minus sagacissimus princeps; PORVSSIAE R. EDICTA in furtiuos uenatores.

(*) Syllabum earum legum, ad *politiam* facientem, congessimus in libello: *von einigen stücken neuverbesserter Preussischer policey.* Quod opusculum prodiit *Halae Salicae* 1727. in 8st. Extantque eius exempla in neobibliopolio.

tot

tot malorum auctores feripetas, *die wild-diebe.* Non solum feras turbando in cubilibus; sed etiam occidendo intempestiue; deinde itineribus & uiatoribus adferendo mille pericula; demum, operis & opificiis relictis neglectisque, indulgendo otiis furtiuis; cum aliae poenae satis non essent ad retundendam eorum audaciam: demum auctor fuit legis seuerioris. Cuius argumenta sunt haec: *laqueo iuguletur, in mala arbore, furtiuus uenator. Siue ipse occiderit feras siue hoc fine syluam cum uenabulo aut tubulo igniuomo fuerit ingressus. Eandem poenam luat ferarum, furto ablatarum, celator emtorque* & quae sequuntur deinceps. Nam exhibuimus utrumque EDICTVM PROHIBITORIVM in *adpendicis num. I. & II.* Olim enim pretia certa feris statuta, uarii generis quidem, ablatis furtiua uenatione. Quorum matriculam in adpendicis *num. III.* damus pariter. Largirer, satis esse hanc nummariam poenam, in syluis nobilium ac priuatorum possessorum: dummodo constaret hoc; utrum tanti luere illas debeat etiam in eorundem fundis furtiuus uenator? an uero lex scripta tantummodo & statuta uiolatoribus regalium fundorum? Quodsi fuerit ultimum; furtiui uenatus alii referendi inter arbitrarias iudicis quaestiones. Quod argumentum tractat Menochius.

Iudiciaria PROBLEMATA uenatoria. (q) Cursim attigimus haec problemata, indice uelut digito. Facillimum esset; addere innumera alia plura. Neque ad otium tantummodo perdendum; sed quod iudicialia responsa, in hoc genere argumenti, admodum sint lubrica fallantque parum idoneis rationibus. Ecquae enim naeniae & plusquam siculae gerrae: feras esse omnium, deo largitore, quod principes sibi & suis proceribus tantum modo uindicent cum mortalium iniuria? Quid enim obstat; quo minus non urgeant idem

in

in centum aliis rebus, *differ. I. not. b.* commemoratis, quae pariter interdictae priuatis, principi soli adsertae, iure regalium? Quis damnat poenae acerbitatem, intentatae regalium temeretoribus generis alius? Et dictum superius *differt. I. differ. III. num. 3.* feras non nasci, instar metallorum aut concharum, sine pastu. Atque hic causam praebet; quare ferae referantur in fundi dominorum altilibus. Nullam inter ferae & hominis aestimationem esse & aequalitatem. Repono; quae aequalitas unius assis aut denarii cum homine? Sed tamen punitur ultimo supplicio illorum falsificator. Praeterea imaginem DEI non perdendam uel destruendam. Sed ita tolle a rebuspublicis omnia supplicia. Tum uenatus factam mentionem nullam in 2 F. 56. ubi *regalium* enumerentur nomina. Verum quis nescit, plura eorundem ibi fuisse praetermissa? Et commemorantur *piscationum* ibi iura, propria principis, eodem plane modo. Quod etiam piscatio uenationis species. Sed quid? si *fera* a uiatore reperiatur iam *occisa?* Repono; eam minus tum auferendam. Quod desierit esse omniuaga. Tandem, fuisse iureconsultos plures, qui hanc legum acerbitatem sequi neglexerint, in damnatoria sententia, quam recusauerint adaugere ultra exilium & deportationem, licet aliter iussi. Repono; uenia digniores illos; si nullam tulissent, conscientia errante, quam lege mitiorem Verum enimuero haec & alia plura sequentur deinceps.

F I N I S.

ADPENDIX LEGVM
REI VENATORIAE SINGVLARIVM

NVM. I.

Edict, daß die Wild-Diebe, auch diejenigen, welche in Kæniglichen Gehegen mit Wildprett, nebst buchsen und flinten angetroffen werden, ohne alle gnade aufgehangen werden sollen. Sub dato Berlin, den 9ten Ianuarii 1728.

WIr FRIDERICH WILHELM, von Gottes Gnaden, KÖNIG IN PREVSSEN, Marggraf zu Brandenburg, des Heiligen Römischen Reichs Ertz Cämmerer und Chur. Fürst, Souverainer Printz von Oranien, Neufchatel und Vallengin, in Geldern, zu Magdeburg, Cleve, Jülich, Berge, Stettin, Pommern, der Cassuben und Wenden, zu Mecklenburg, auch in Schlesien zu Crossen Hertzog, Burggraf zu Nürnberg, Fürst zu Halberstadt, Minden, Camin, Wenden, Schwerin, Ratzeburg und Meurs, Graf zu Hohenzollern, Ruppin, der Marck, Ravensberg, Hohenstein, Tecklenburg, Lingen, Schwerin, Bühren und Lehrdam, Marquis zu der Vehre Vlisingen, Herr zu Ravenstein, der Lande Rostock Stargard, Lauenburg, Bütovv, Arlay und Breda, &c. &c. Thun kund und fügen hiemit zu wissen; Nachdem Wir höchst misfällig vernommen, das ungeachtet Unsers und Unserer glorwürdigsten *Vorfahren scharffen Verbots* in den *Heyden* und *Wäldern*, ja so gar in

in *Unseren Wild-Bahnen und Gehegen*, die *Wild-Diebereyen* sich zu *mehren* beginnen, so dass, wann nicht mit Macht gesteuret wird, ein total-ruin in Unseren Gehöltzen und Gehegen zu besorgen: Als haben Wir nöthig geachtet, diesem Unheil mit Macht vorzubeugen, und dawider Anstalt zu machen.

Wollen demnach und verordnẽ hiemit alles Ernstes: dass sobald *einigen Orts ein* Verdacht wegen *Wild-Diebe* sich spuren lässet, Unsere Heyde-Reuter, Forst- und Heyde-Bedienten, so weit eines jeden revier sich erstrecket, sich mit den Dorfschaften und Bauren zusammen thun, und unsere *Heyden, Gehege und Wild-Bahnen fleissig durchsuchen*, auch bemühet seyn sollen, die *Wild-Diebe* zu attrapiren und sich derselben zu bemächtigen. Wann sie nun ihrer habhaft worden, so sind sie in das næchste *Amt* zu liefern, und wenn sie das *Verbrechens überführet*, (welches durch einen kurtzẽ process geschehẽ muss) so sollen sie, ohne alle gnade mit dem *strange vom Leben zum tode gebracht werden*. Und eine gleiche Straffe haben auch diejenigen zu erwarten; vvelche in Unseren gehegen auch nur als *wild-diebe mit büchsen* oder *flinten* und dabey habendem *wildpret* angetroffen vverden, denen zu keiner entschuldigung das vorgeben dienen soll; dass sie das vvildpret gefunden und mit sich genommen haben. Sondern sie sollen, dieses einvvendens ungehindert, *aufgehangen* vverden.

Damit nun hofshafftige und vervvegene leute sich mit der *unwissenheit* nicht entschuldigen mögen; sondern sich huten und in acht nehmen können; so soll dieses Unser edict überall publiciret, und auf den dörffern in den *krügen* und *schæncken* angeschlagen vverden. Wir befehlen auch Unseren Ober- und Hof-Iaeger-Meistern, Ober-Forst-Meistern, Amts-Haupt-leuten und land-iaegern, acht zu haben, dass es dergestalt geschehe und maenniglich *zur* NOTITZ kommе. Uhrkundlich unter Unserer höchst eigen haendigen *unterschrift und beygedrucktem königl.* INSIGEL. So geschehen und gegeben zu *Berlin*, den 9ten Ianuarii 1728.

(L. S.) Fr. Wilhelm.

F. W. v. Grumkow. E. B. v. Creuz. C. v. Katsch. F. v. Gœrne. A. O. v. Viereck.

Num. II.

Declaration des edicts vom 9ten Ianuarii a. c. wegen der wild-diebe, daß wer einen wild-dieb angiebet 10. Rthlr. haben, wer ihn aber verheblet, als ein wild-dieb selbst bestrafet werden soll. De dato Berlin den 2ten Martii 1728.

S*Eine Kœnigl. Majestæt* in Preussen, &c. Unser allergenædigster Herr, haben zwar in dem, wegen steurung der überhand nehmenden *wild diebereyen*, unterm 9ten Ianuarii a. c. publicirten edict verordnet: dass, so bald *einigen orts* ein *verdacht* wegen *wild diebe* sich spüren læsset, die heyde- und forst-bedienten, so weit eines jeden revier sich erstrecket, sich mit den dorfffschafften und bauren zusammen thun, die heyden, gehege und wild-bahnen fleisig durchsuchen, und bemuhet seyn sollen, die wild-diebe zu attrapiren und sich derselben zu bemæchtigen.

Da aber solches nicht allein viele Weitlæuftigkeiten verursachen, sondern auch, wann die heyde- und forst-bediente, bey hœrung eines verdæchtigen schusses, sich erst nach der hülfe der dorfschaft und bauren, welche wohl 1. bis 2. meilen von den heyden entlegen sind, umthun sollten; die *wilddiebe* inzwischen zeit genug gewinnen würden, mit dem *geraubtem wilde* sich aus dem staube zu machen: So haben hœchstgedachte Se. Kœnigl. Majestæt, damit dero hierunter habende intention desto eher erreichet, und allen *wilddiebereyen* vorgebeuget werde, in gnaden resolviret, das dem-

demjenigen einvvohner und *unterthanen*, auch domestiquen und fremden holtzhauer; vvelcher einen *wild-dieb*, er sey von vvas condition er vvolle, entvveder entdecken und anzeigen oder den forst-bedienten in den gehœltzen nachvveisen und assistiren vvird, jedesmahl 10. rthlr. aus den *vvild-diebs-straf-geldern* gereichet, und sein nahme verschvviegen, hingegen aber derjenige, *wer es verheblet*, und es nachhero auskæme, auch überführet vvürde, dass er davon gevvust, mit der im vorangezogenen edict auf die *wild-diebe* gesetzten *strafe* beleget vverden soll.

Es sollen auch alle und jede *weißgerber* in den stædten, bey vermeidung nachdrücklicher vvillkührlichen strafe, so oft ihnen *wildhæute* verkaufet, oder zum zubereiten und gahr machen gebracht vverden, sich allezeit von dem *Verkäufer* ein beglaubtes attestatum, von vvem sie kommen, geben lassen und solches dem *forst-amt* des orts unverzüglich einliefern. Die aber mit dergleichen nicht versehen, vvo sie dieselben nicht kennen, so fort der gerichts-obrigkeit anzeigen, *damit selbige arrestiret, examiniret und, nach befinden, bestrafet vverden können.*

Hœchstgedachte Se. Kœnigl. Majestæt befehlen demnach Dero ober- und hof-iægermeistern, ober-forstmeistern, amts-hauptleuten und land-jægern hiermit in gnaden, solches uberall gehœrig bekant zu machen, und, in vorkommenden fællen, sich uberall hiernach allergehorsamst zu achten. Uhrkundlich unter Seiner Kœniglichen Majestæt hœchst eigenhændigen unterschrifft, und beygedruckten kœnigl. Insiegel. Gegeben zu Berlin, den 2ten Martii 1728.

Fr. Wilhelm.

(L. S.)

F. W. v. Grumbkow. E.B. v. Creutz. C. v. Katsch. F. v. Gœrne. A. O. v. Viereck.

Num.

Num. III.

MATRICVLA MVLTARVM
IN FERIS CAESIS
A
FVRTIVO VENATORE.

fur einen hirſch	500 thl.
fur ein ſtuck vvild	400
fur ein vvild-kalb	200
fur ein reh	100
fur ein hauerſchvvein	403
fur ein bach	200
fur einen friſchling	100
fur einen luchs	100
fur einen wolf ſo in der wild bahn geſchoſſen wird	50
fur einen fuchs	20
fur einen haaſen	50
fur einer marder	50
fur ein ellthier oder ilting	10
fur eine otter	10
fur einen bieber	10
fur einen dachs, ſo ausgegraben oder gefangen	10
fur eine wilde-katze	10
fur einen trappen	50
fur einen ſchvvan	75
fur einen auerhan oder henne	50
fur ein birckhuhn	50
von rephunern	50
von haſelhunern	50
fur eine wilde gans	40
fur einen kranich	40
fur einen reyher	40
fur eine endte	10
fur eine wilde taube	5

  

